



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

XI. De mixtione aquæ cum Vino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

## DE MIXTIONE AQUÆ

*cum vino.*

Qua modicissima adhiberi debet  
 calici ante consecrationem, ait  
*Concil. Florent.* idque ex Ecclesiastico  
 recepto fieri, communior tradit opi-  
 o, & probabilior, quamvis à Domini  
 templo emanarit.

Sunt nonnulli dicentes non debere  
 esse sollicitum Sacerdotem in hac mi-  
 xture, ut aqua sit valde modica, im-  
 mō posse octavam vel decimam par-  
 tem proportionaliter ad vinum adhi-  
 beri. Ita *Æg. Coninch*, cui subscribitur  
*Layman, & Diana*. Sed an hoc *Concilio*  
*Florentino* satis consonet (quod hac  
 voce utitur, *Modicissima aqua*) meritò  
 quis dubitarit.

Quid autem de illa aqua fiat, dispu-  
 tant nonnulli recentiores Doctores,  
 differentes non converti in vinum, & ta-  
 men transire in sanguinem virtute con-  
 secrationis, cui sententiæ adhæret post  
*Coninch, & Layman*, ac nonnullos alios  
*Diana*. Sed communior & probabilior

Ec

sen-

sententia dicit, quod illa aqua cōvertatur in vinum, ac deinde in sanguinem; negatque immediatè posse cōverti in sanguinem, si non transferit in vinum.

Dico esse probabiliorem & communioem, quia sic asserit hac de re Catechismus *pii V.* ex decreto Concilii Tridentini editus ad Parochos: *Hæc est omnium Ecclesiasticorum Scriptorum sententia & iudicium.* Nota hæc verba & attende quod Parochi, ad quos hic Catechismus potissimum dirigitur, potius debeant adhibere fidem huic sententiæ, quam nonnullorum privatorum & recentium D.D. opinioni.

Er certè hæc videtur esse intentio Ecclesiæ, modicissimam aquam miscentis, ut facilius transeat in vinum, & deinde in sanguinem.

Idem volunt SS. Patres (quantumlibet sectatores opinionis alterius eos ad se attrahere conentur) dum dicunt ex vino & aqua cōfici sanguinem Domini. Sic loquitur S. Damascenus l. 4. c. 14. *Qui fecit omnia, potest ex aqua & vino sanguinem suum conficere.* Item

S. Ambr.

S. Ambr.  
licem  
tione v  
ep. 63.  
nec sola  
Non e  
calicem  
aqua ad  
guinem  
mediat  
ferit p  
Hinc &  
clesiis  
aquam  
certius  
carur i  
rum.  
Hæc  
probat  
tha, de  
referat  
iudicat  
no in s  
opinion  
at, quæ  
substan

S. Ambri. l. 4. c. 4. *Vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi celestis.* Sic ait S. Cyprianus ep. 63. *Calicem non esse vinum solum, nec solam aquam, sed utrumque mixtum.* Non enim aliud intelligunt, quàm calicem Domini confici ex vino, cui aqua admixta est; & ita aquam in sanguinem transire, non immediatè, sed mediatè, cum prius in vinum transierit post illam mixtionem factam. Hinc & usus habet in nonnullis Ecclesiis & Ordinibus Religiosis hanc aquam initio Missæ miscere vino, ut certius transeat in vinum. Sic practicitur in Ord. Pat. Dominicanorum.

Hæc iterum est opinio quam approbat Innocentius 3. *Cap. Cum Martine, de celebrat. Missarū.* Ubi cum tres referat opiniones, illam probabiliorem iudicat, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, juxta opinionem quam secundo loco posuerat, quæ dicebat aquam cum vino substantiari in sanguinem, cum in vi-

num transferit. Nam de opinione quam recentiores sustinent, quod aqua manens aqua possit transire in sanguinem, non facit mentionem Innocentius, ut patebit diligenter Capitulum legenti. Unde nulla ei affingi potest probabilitas ex doctrina Innocentii ibi tradita, quidquid dicant huiusce opinionis sectatores. Nec illius erjam meminerunt Doctores Scholasticantiquiores, sed nostræ suffragantur assertioni.

Quapropter cum hic agatur de materia Sacramenti, longè tutius est cum communi Theologorum sententia loqui, quàm paucorum opinioni adherere, quæ ex obscurioribus aliquibus Patrum verbis (juxta tamen sententiam nostram commodam interpretationem habentibus) & ex paucis & infirmis rationibus physicis, receptam à Theologis doctrinam, impugnatur, ut novam stabiliat.

Videndum quoque ne per hoc detur occasio hæreticis calumniandi, & dicendi Ecclesiam non sibi constare

in Sacramenti Eucharistici materia designanda, sed Catholicos Doctores recentioribus repugnare, dum aquam volunt esse materiam sanguinis, quod antiquorum negat communis consensus, sive in Schola S. *Thoma*, sive in Schola *Scoti*, & aliorum Doctorum celeberrimum.

Neque satis est dicere vinum esse materiam essentialem, aquam verò materiam liberam, non necessariam; quia nec talem modum loquendi antiquitas agnovit; sed solum agnovit aquam misceri vino per modum cæremoniae, non per modum materiae, quæ per se possit converti. Quocirca Sacra Scriptura cum de materia agit Eucharistiæ, solius vini meminit. Et *Conc. Trident. sess. 13. can. 2.* definit panem in corpus, & vinum in sanguinem transire, manentibus tantum speciebus panis & vini; nec ulla fit mentio aquæ, aut specierum ejus. Convenit & igitur monitum illud Sapientis attendere: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui.*

E c 3

Addo

*Addo* postremò, si aqua etiam dicitur materia, vix reddi potest ratio, cur pura non possit verti in sanguinem; aut certè, cur si in parva quantitate accidentibus vini alterata, cur non & in majori quantitate, si illa etiam accidentia receperit vini? Immò sequitur quandoque sanguinem manere sub solis speciebus aquæ; ut si contingat species vini acescere & corrumpi, & non species aquæ. Item, si quacumque ratione species aquæ consecratæ separantur à speciebus vini. Cur enim propter illam solam separationem desinet ibi sanguis Christi, & rediret substantia aquæ? Hæc certè omnia videntur involvere aliqua vel in convenientia, vel minùs solidè dicta. Sed hæc fusiùs profuqui non est nostri instituti; ad Scholasticos Doctores Lectorem remittimus.

## CAPUT XII.

*De qualitate vini.*

**C**Æterum, cùm ordinariè vinum in se aquam illam modicissimam convertere debeat, ita ut *S. Barnabæ*